Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36643
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

33.

nones instituit, quibus cursus astrorum inueniantur. De distinctione astronomie -- ii -- ii

IIII Inter astronomiam autem et astrologiam aliquid differt. Nam astronomia celi conuersionem, ortus et obitus motusque syderum continet, uel qua ex causa ita uocentur. Astrologia uero partim naturalis, partim supersticiosa est. Illa quam mathematici sequuntur, qui in stellis augurantur, quique etiam xii signa celi per singula anime et corporis membra disponunt, syderumque cursus natiuitates hominum et mores predicare conantur. De astronomie ratione

V Astronomie ratio modis plurimis constat. Illi diffiniunt enim quid sit mundus, quid celum, quid spere situs et cursus, quid axis celi et poli, que sint climata celi, qui cursus solis et lune atque astrorum et cetera.

VI De mundo. Mundus est hic qui constat ex celo et terra et mari cunctisque syderibus. Qui ideo mundus est appellatus, quia semper in motu est. Nulla enim requies elementis concessa est.

VII De forma mundi. Formatio mundi ita demonstratur. Nam quemadmodum erigitur mundus in septentrionalem plagam, ita declinatur in australem. Caput autem eius et quasi facies orientalis regio est, ultima pars septentrionalis.

VI Celum philosophi · De celo eiusque nomine · rotundum uolubile atque ardens esse dixerunt, uocatumque hoc nomine eo quod tamquam uas celatum inpressa signa habeat stellarum. Distinxit enim id deus claris luminibus et impleuit sole uidelicet et lune orbe fulgentibus, et astrorum micantium splendentibus signis adornauit. Hoc autem grece uranos dicitur ΑΠΟΤΥ ΠΑCΤΑ (?) id est a uidendo, eo quod aer perspicuus sit et ad speculandum purior.

VIIII Spera celi est species · De celestis spere situ · quedam in rotundum formata, cuius centrum terra est, ex omnibus partibus equaliter conclusa. Hanc speram nec principium habere dicunt nec finem, ideo quod in rotundum quasi circulus unde incipiat uel ubi desinat non facile comprehenditur. Philosophi autem vii celos, id est planetas globos, consono motu introduxerunt quorum orbibus conexa memorant omnia, quos sibi inexos et uelut insertos uersari retro et e contrario ceteris motibus suis ferri arbitrantur. De eiusdem spere motu. X.

Spere motus duobus axibus uoluitur, quorum unus est septentrionalis qui numquam occidit appellaturque boreus, alter australis qui numquam uidetur et austronotius dicitur. His duobus polis moueri speram dicunt celi, et cum motu eius sydera in ea fixa ab oriente usque ad occidentem circuire, septentrionibus breuiores gyros iuxta cardinem peragentibus. De eiusdem spere cursu. XI.

Spera celi ab oriente et occidente semel in die et nocte uertitur xxiiii horarum spatiis, quibus sol cursum suum super terras et sub terras sua uolubilitate concludit. De celeritate celi · XII ·

Tanta celeritate spera celi dicitur currere, ut nisi aduersus precipitem eius cursum astra currerent, que eam remorarentur, mundi ruinam faceret. De axe celi · XII ·

Axis est septentrionalis linea recta, que per mediam pilam spere tendit. Et dicta axis quod in ea spera ut rota uoluitur, uel quia in plaustrum est. De celestibus polis · XIII ·

Poli sunt circuli celi qui currunt per axem. Horum alter est septentrionalis qui numquam occidit, appellaturque boreus, alter australis qui numquam uidetur et austronotius dicitur. Et dicti poli quod sint axium cicli ex usu plaustrorum, a poliendo scilicet nominati. Sed polus boreus semper uidetur, austronotius numquam, quia dextra celi altiora sunt, pressa austri. De cardinibus celi · XIIII ·

Cardines celi extreme partes sunt axis, et dicti cardines eo quod per eos uertitur celum, uel quia sicut cor uoluitur. De conuexis celi · XV

Conuexa autem celi extrema eius sunt, a curuitate dicta, ut est illud: conuexa cauae (?) claudit nox humida celum. Conuexum enim curuum est, quasi conuersum seu inclinatum et ad modum circuli inclinatum. De ianuis celi · XVI

Ianue celi due sunt, oriens et occasus. Nam